

INCIPIUNT CAPITULA SYNODI ANCHYRITANAE

I. De presbiteris lapsis in persecutione

II. De diaconibus qui immolaverunt

5 III. De clericis sive laicis, quorum manus alii cum iniurias super idolorum sacrificia posuerunt

IIII. De his, qui in templis idolorum cenaverunt; de quibus supra

V. De his, qui timore ritus gentilium peregerunt

VI. De his, qui in locis idolorum manducaverunt

VII. De his, qui frequenter idolis immolaverunt

10 VIII. De his, qui coacti idolis immolaverunt

VIII. De his, qui et aliis sacrificandi causam attulerunt

X. De diaconibus

XI. De dispensatis puellis et ab aliis corruptis

XII. De his, qui ante baptismum sacrificaverunt idolis

15 XIII. De chorepiscopis

XIII. De presbiteris a carne se abstinentibus

XV. Non debere presbiteros ecclesiastica iura vendere

XVI. De his, qui inrationabiliter vixerunt

XVII. De his, qui sicut muta animalia vixerunt

20 XVIII. De episcopis, qui ordinati non suscipiuntur

XVIII. De his, qui virginitatem profitentur

XX. De adulteris

XXI. De mulieribus, quae fornicatae partus suos necant

XXII. De his, qui volentes homicidium fecerunt

25 XXIII. De his, qui nolentes homicidium fecerunt

XXIII. De his, qui more gentilium vivunt

XXV. De eo, qui sororem sponsae suae vitiauit

EXPLICIUNT CAPITULA

INCIPIT SYNODUS ANCHYRITANA

30 *ISTI QUIDEM CANONES SEU REGULAE PRIores sunt Nicenis, sed ideo Niceni canones priores scribuntur propter auctoritatem magni et sancti concilii apud Niceam habiti. Convenerunt autem in synodum memoratam Anchyræ civitatem hi, qui infra scripti sunt:*

Marcellus Anchyritanus, Agricolaus Cesariensis, Lupus Tharsensis, Vitalio Anchiocensis, Basilius Amasenus, Phyladelphius Iuliopolitanus, Festulus Nicomedensis, Heraclius Zelonensis, Petrus Iconiensis, Nunecius Laudychenus, Sergianus Antiochenus Physidiae, Narcissus Nerodiensis.

I. PRESBITEROS QUI IMMOLAVERUNT ET POSTEA ITERUM CERTAMEN inierunt, si hoc ipsum ex fide et non aliquo argumento sibimet praeparantes egerunt, ut iterum teneri viderentur aut tormentis subici tamquam putentur inviti—ex fide ergo luctati sunt et non ex compacto ad ostentationem, ut offerentur, ipsi fecerunt—hos placuit honorem quidem sedis propriae retinere. Offerre autem illis et sermonem ad populum facere aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi non liceat.

II. Diacones similiter, qui immolaverunt, postea autem iterum reluctati sunt, illos quidem honorem habere oportet, cessare vero debere ab omni sacro ministerio, ita ut nec panem nec calicem offerant nec pronuntient, nisi forte aliqui episcoporum conscii sint laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere, penes ipsos ergo de his erit potestas.

III. Qui fugientes tempore persecutionis comprehensi sunt vel a familiaribus seu a domesticis traditi et vel bona propria amiserunt vel sustinuerunt tormenta vel etiam carceribus inclusi sunt, et tamen proclamaverunt se esse christianos, quin etiam perseverante violentia ad id usque perducti sunt, ut manus eorum adprehensas et violenter adtractas super sacrificia imponerent illis scilicet perseverantibus in fide et christianos se esse vociferantibus—hoc ergo quod eis invititis et aliis cogentibus contingit—si luctu et merore animi acerbe se ferre demonstrant ipsique humili per bonam conversationem habitu incedentes dolere se quod invititi coacti sunt doceant, hos tamquam inculpatores a communione non vetari. Si autem iam prohibiti sunt ab aliquibus a communione maioris diligentiae inquisitionis causa aut per aliquorum ignorantiam, statim recipi oportere. Hoc autem observari oportet et de clericis et laicis omnibus. Laicos sane, qui in similem necessitatis causam inciderunt, tamquam si nihil peccaverint, maxime si eos probabilis vita commendat, ad ordinationem recipi placuit.

III. De his qui sacrificare coacti sunt, insuper in templis idolorum cenaverunt: Si quis eorum cum habitu cultiore ad templa producti sunt, atque ibi praeciosiori adhuc veste mutata caenae participes facti sunt idolorum indifferenter sumentes omnia, quae fuerant adposita, placuit inter audientes uno anno constitui, tribus autem aliis annis agere paenitentiam, sed ex ipso triennio per biennium tantummodo orationi communicare, tertio autem anno reconciliare sacramentis.

V. Quotquot autem ascenderunt templa cum veste lugubri et recumbentes inter alios manducaverunt flentes, si compleverint paenitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est ut ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa non manducaverunt, biennio maneat in paenitentia. Tertio vero anno communicent, sed sine oblatione ut dictum est, ut quarto iam anno perfectionem suam recipiant. Episcopum autem hinc habere licentiam oportet, ut pro his peccata singulorum consideret et prout viderit conversationem, normam regulamque conversionis adtribuat, id est ut humanius agens secundum

41 fide] corrected from sed 50 comprehensi] comprerehensisi before correction; final -si expunged 56 acerbe] corrected from acerber 65 praeciosiori] praeciosori 70 lugubri] corrected from lucubri

80 *vitae modum tempus alicui breviare, aut etiam prolixius, quod correctionis necessarium viderit, addere. Discutiatur autem omnium horum et praecedens vita et posterior et ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur.*

85 *VI. De his, qui minis tantum cesserint aut bonorum ablatione aut transportationis poena deterriti sacrificaverint, et nunc usque non paenituerunt neque conversi sunt, modo autem, id est tempore huius synodi, se obtulerunt conversionis suae consilium capientes, placuit eos usque ad magnum diem inter audientes suscipi, paenitentiam autem agere triennio et post duos alios annos sine oblatione communicare, et ita demum sex annis completis ad perfectum pervenire. Quod si aliqui ante hoc concilium suscepti sunt ad poenitentiam, ex illo tempore imputabitur eis initium sexennii constituti; quod si alicui horum quodlibet mortis*
90 *periculum aut ex egritudine aut ex aliqua causa acciderit, his communionem propter viaticum suum non negari.*

95 *VII. De his, qui festis diebus paganorum in remotis eorum locis conviviiis interfuerunt et suas nihilominus epulas idem portaverunt atque comederunt, placuit ut post biennii poenitentiam suscipiantur; ita tamen, utrum aut cum oblatione recipiendi sint an ad solam communionem admitti debeant, unusquisque episcoporum examinet vitam eorum et praeterita ac praesentia habita consideratione perpendat.*

100 *VIII. Hi autem, qui secundo et tertio sacrificaverunt vi coacti, quattuor annis sese ad poenitentiam submittant, duobus autem aliis sine oblatione communicent septimo anno perfectionem recepturi communionis.*

105 *VIII. Quotquot autem non solum a fide dominica deviaverunt, sed etiam insurrexerunt in alios et fratribus persuaserunt et rei facti sunt persuasionis, hi per triennium quidem inter caticuminos habeantur. Per aliud autem sexennium poenitentiae recipiant locum, alio vero anno, id est decimo, communionem sine oblatione recipiant, ut completo decennio perfectione fruantur; ideo autem ipso tempore etiam vita eorum et conversatio consideranda est.*

110 *X. De diaconis quicumque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores nec posse se continere, hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio propterea quod his episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerunt et susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias convenerint, a ministerio cessare debebunt.*

XI. Desponsatas puellas et postea ab aliis corruptas placuit erui et his reddi, quibus fuerant dispensatae, etiam si eis a raptoribus florem pudoris amisisse constiterit.

115 *XII. Eos, qui ante baptismum sacrificaverunt et postea baptismum consecuti sunt, placuit ad ordinem promoveri, tamquam ab omni crimine lavacri salutaris sanctificatione purgatos.*

120 *XIII. Vicariis episcoporum, quos Greci chorepiscopos vocant, non licere vel presbiteros vel diaconos ordinare, sed nec presbiteris civitatis sine episcopi precepto aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarum eius in unaquaque parochia aliquid agere.*

80v XIII. De his, qui in clero sunt presbyteri vel diaconi et abstinent se a carnibus, hoc placuit statui, ut non eas tamquam immundas contempnant, sed contingant; a quibus quidem, qui se abstinere volunt, habeant potestatem, ita tamen ut, si quando cum oleribus coquantur, eadem tanquam carnibus polluta non iudicent, sed ex his cibum adsumant, quamvis a carnibus se abstineant. Quod si in tantum eas immundas et abominabiles iudicaverint, ut nec holera, quae cum carnibus coquantur, aestiment comedenda, tanquam non consentientes huic regulae, cessare eos oportet a ministerio et ordine suo. Si quis autem huic regulae monitus non oboedierit, sed carnes ut dictum est immundas et abominandas existimaverit, cessare debet ab ordine suo. 125 130

XV. Si qua de rebus ecclesiae cum episcopus non est presbyteri vendiderint, placuit rescisso contractu ad ius ecclesiasticum revocari. In iudicio autem erit episcopi constitutum si pretium debeat recipi necne, propter quod saepe contingit distractarum rerum redditus ampliolem summam pro accepto pretio reddi. 135

XVI. IN HOC TITULO GRECA VERBA HAEC SUNT: ΠΕΠΤΩΝΑΛΟΓΕΥΣΙΑ KLENO KLA OTEI TOME NON TOIONE. Quae nos Latine possumus dicere: De his qui inrationabiliter versati sunt sive versantur. Sensus autem in hac sententia duplex esse potest, qui ex subiectis conicitur: aut de his, qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecorum incesta cum propinquis sanguinum commiscuerunt. Quotquot igitur ante vicesimum aetatis suae annum tale crimen admiserint, quindecim annis in paenitentia exactis orationi tantum incipiant communicare, et quinquennium alterum in communionem orationis solius perdurantes post vicesimum cum oblatione ad communionem suscipiantur. Discussatur autem et vita eorum qualis fuerit tempore poenitentiae, et iuxta hanc humanitatem consequantur. Quod si qui perseverantius abusi sunt hoc crimine, prolixius tempus, id est viginti annorum paenitentiam, suscipiant. Qui vero exacta viginti annorum aetate et uxores habentes in hoc crimine inciderint, post viginti et quinque annos paenitentia acta ad communionem orationum admittantur; in qua cum communionem orationum altero quinquennio perdurantes ad plenam communionem cum oratione recipiantur. Quod si aliqui et uxores habentes et excedentes quinquagesimum aetatis suae annum in hoc prolapsi sunt scelere, ad exitum vitae tantum communionem mereantur. 140 145 150

XVII. Hos eosdem sane non solum leprosos crimine huiusmodi factos, sed et alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui tempestate iactantur, qui a nobis energumini intelleguntur. 155

XVIII. Si qui episcopi suscepti non sunt a sua diocesi in qua fuerant denominati, compellantur ad eandem iudicis edicto redire. Quod si voluerint alias ecclesias occupare et vim facere aliis episcopis, quos ibi invenerint, seditiones excitando adversus eos, hos segregare oportet. Quod si volunt in presbiterio in ecclesia, ubi prius fuerant, tanquam presbyteri residere, non repellantur a propria dignitate. Quod si etiam ibi seditiones concitare probantur episcopis ibidem constitutis, segregari eos necesse est et nihilominus presbiterii dignitate privari. 160

XVIII. Quotquot virginitatem pollicitam praevaricatae sunt professione contempta inter digamos, id est qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debe-

165 *bunt. Virgines autem puellas, quae tamquam sorores cum nonnullis viris habitare volunt, ab eorum consortio prohibemus.*

XX. Si quis adulterium commiserit septem annis in penitentia completis perfectioni reddatur, secundum pristinos gradus.

170 *XXI. De mulieribus, quae fornicantur et partus suos necant, sed et de his quae agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitae eas ab ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus poenitentiae tribuatur.*

XXII. Qui voluntarie homicidium fecerint, ad poenitentiam quidem iugiter se summittant. Circa exitum autem vitae communione digni habeantur.

175 *XXIII. Eos vero, qui non voluntate sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem tantum annorum poenitentiam communioni sociavit secundum gradus constitutos. Haec vero humanior definitio quinquennii tempus tribuit.*

180 *XXIII. Qui auguria vel auspicia sive somnia vel divinationes quaslibet secundum morem gentilium observant, aut in domos suas huiusmodi homines introducunt in exquirendis aliquibus arte malefica aut domus lustrant, confessi quinquennio poenitentiam agant secundum antiquas regulas constitutas.*

81r

185 *XXV. Si quis sponsam habens sorori eius forsitan intulerit vicium eique inhaeserit tamquam suae et sibi expetendam esse coniunctionem, hanc autem deceptam postea uxorem duxerit disponatam, illa vero, quae vicium passa est, si forte necem sibi intulerit: omnes hi, qui huius facti sunt conscii, decem annis in poenitentiam redigantur secundum canones constitutos.*

EXPLICIT CONCILIUM ANCHYRITANUM